

78 N 13 [44] X3012559

11

ODE
 IN HONOREM
 VIRI PERQVAM REVERENDI
 DOMINI
CHRISTIANI
GODOFREDI
JANI

DIAC. SCHAFFSTADIENSIS,
 NOVI
 ET MYSTÆ
 ET MARITI
 D. XI. CALEND. DECEMBR. AN. O. R. M DCC XXIV.
 COMPOSITA

à
M. JAC. ANTON. JACOBI,
 PAST. SVBSTIT. BVNDORF. ET BISCHD.


MARTISBVRGI,
 TTPIS IOH, MAVRIT, GOTTSCHIKII,



Kapsel 78 N 13 [44]

VD18 AK






Ic, JANE, nostrum Prime Sodalium,
Fidique constans gloria pectoris,
Tandem Tibi risit serenum
Sors veteres variata vultus.
Sic longa tandem latius emicat
Spes fisa coelo, sic patientia
Tandem moras vicit bilustres,
Sic bona causa Tibi triumphat.
Desideratis candida faustitas
Inventa bigis en! Tua duplicat
Vota, & (quis vno speret anno?)
Te quoque, JANE, facit Maritum.
Te rite Mystam Coelicolum Pater
Ingens ad aras constituit suas,
Cinxitque Sacratos verendis
Ipsè Tuos humeros tenebris,
Ac aucta divis dogmata viribus
Ad rostra iussit promere mystica,
Acceptum ubi fert ille nomen
Incola lanigeris catervis.
Nec plena vero pectora Cynthio
Indigna tali munere sunt Tua,
Quæ iam benigni afflavit aura
Numinis hinc teneris ab annis.
Nunc coniugali Te face Castitas
Inraminatis apta caloribus
Accendit, argentemque lectum
Linquere nil remorata mandat.
Nunc illa Mater blanda Cupidinum
Festo comantes lumine cereos
Luxisse, convinctumque gratà
Compede Te tenuisse gaudet,
Dum Sponsa Sponsò iam Tibi coelitus
Connubiali foedere iungitur,
Dumque in virentis iam maritæ
Te iuvat excubuisse labris.

Sic ergo amico sic quia vinculo
Fortuna faustis læta negotiis,
Hæc fata in vno bis secunda
IANE Tibi, cumulavit anno,
Hinc iure plectro pfallimus vnico
Foecunda casti gaudia lectuli,
Sacramque Sortem, vnâque chartâ
Vota simul ferimus gemella.
Plaudit vetusti sanguinis incluta
Tumplinga Proles, Nobilium Decus,
Plaudit Patronorum caterva,
Plaudimus &, Tua turba, amici,
Illudque causa non sine fontica,
Tu namque dulci pascere pabulo
Gnarus pijs menteis gregemque
Æthereis satiare lymphis.
Apricus agro qualis in herbido
Pastor tenelli velleris agmina
Nutrit, sitique vstos anhelâ
Fonte greges saliente potat.
Tu dura doctus frangere pectora
Verbi secantis fulmine cœlico,
Vitam & probâ formare lege,
Et pavidam recreare gentem.
Exinde felix Schaffstadium Tuum
Doctore Te nunc audiat cœtheco,
In quo simul iunxere firmas
Theologie Eusebieque dextras.
Faxit supremo Rector in æthere,
Crescat piorum vt parvula concio,
Atrique vincas bella Ditis,
Tergeminas Erebieque fauces.
Ac dum pudicæ mollia Coniugis
Hac luce sentis brachia, tædaque
Postes serenat nuptiales,
Dumque terax Te Hymenæus vrget,
Nos vota suavi confona vinculo
(Sic fas amico est) solvimus, aptaque
Mollire cœlum, nec per auras
Fluctifrago rapienda Cauro.
Semper secundis lucida solibus
Cernas sereno tempora pectore
Sortisque Te nunquam nocentis
Grandiferi feriant Decembres.

Cajusque Caja tranfige cum Tua
 Annosa feri secula Nestoris,
 Natiq̄ue natorum futuram
 Risibus exhilarent senectam,
 Ipsiq̄ue Jovæ sint rata foedera
 Contracta dextro non sine fidere,
 Composque voti factus vsque
 Vivito cum Sophie cupitâ.
 Nam sola, dixi, nos Sophie iuvat,
 Nobisque præter nil Sophien placet,
 Nec nomen vnquam aridet vllum,
 Sed Sophie meus ignis esto.
 Ergo decoris Tu Sophien genis,
 Ergo venustis Tu Sophien labris,
 Ergo novellam Tu osculare
 Flexanimis Sophien ocellis.
 I! nam coruscus iam venit Hesperus,
 Furvique regnant tempora Morphei,
 I nunc in amplexus nucesque
 Tu Nove sparge Marite prifcas.
 Molles calentis primitias thori,
 Vtrique soli conscia gaudia,
 St! carpe, venturusque Janus
 Te quoque, JANE, beet Parentem,
 Sic Mysta magno non sine Numine,
 Coniuxque fidâ non sine Coniuge,
 Tu, JANE, florebis, benignum &
 Invenient mea vota cœlum.
 Hinc vive felix ter, quater, amplius,
 Dum dura vexant sub lare rustico
 Me fata, constantisque amici
 Vive memor, memor vsque vivam,



Invenient mea vota cœlum.
 Hinc vive felix ter, quater, amplius,
 Dum dura vexant sub lare rustico
 Me fata, constantisque amici
 Vive memor, memor vsque vivam,

78 N 13 [44] X3012559

ODE
IN HONOREM
VIRI PERQVAM REVERENDI
DOMINI
CHRISTIANI
GODOFREDI
JANI

DIAC. SCHAFFSTADIENSIS,

NOVI

ET MYSTÆ

ET MARITI

D. XI. CALEND. DECEMBR. AN. O. R. M DCC XXIV.

COMPOSITA

à

M. JAC. ANTON. JACOBI,

PAST. SVBSTIT. BVNDORF. ET BISCHD.

MARTISBVRGI,

TPIS IOH. MAVRIT. GOTTSCHIKII,



Kapsel 78 N 13 [44]

VD18

AK

